



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini M. D. XLVI.


urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

editis libris sana Ecclesiæ dogmata omni pro-
 nationū genere confirmarunt. Inter quos sane
 insigniter emicuit Defensio iudicij Vniuersita-
 tis & Cleri Colonienſis, contra Melanchto-
 nis, Buceri, & Oldendorpij calumnias, à R. Pa-
 tre, Euerhardo Billick Carmelita, Sacræ Theo-
 logiæ Doctore, & Prouinciali Germaniæ Infe-
 rioris, edita. Et eodem anno rursus ad Triden-
 tum indixit summus Pontifex Generale Conci-
 lium, cui præfecit Tres Cardinales Legatos, vir-
 tute ac eruditione excellentissimos. Quorum
 opera consulatur Ecclesiæ, & contra hæreses vs-
 que adeo impias variasque, & contra corruptos
 mores & abusus Ecclesiasticorum.

Acta & scripta Lutheri,

Anno Domini

M. D. XLVI.

 Colloquium de religione à Cæsare in
 Conuentu superiore Vuormaciæ ha-
 bito, ad festum sancti Andree indi-
 ctum, & ab eodem postea ad XIII. diem De-
 cembriſ ex certis causis per literas proroga-
 tum: propter tardioſer eorum, qui ad Col-
 loquium deputati fuerunt, aduentum, non po-
 tuit inchoari Ratisponæ ante XXVII. diē la-
 nuarij. Nā ij, qui ab Electore Saxonie ad Col-
 loquium missi sunt, Doctot Laurentius Zoch,

*Colloquium
 Ratisponense
 secundum.*

Oo iij

vt auditor, & diuus Georgius Maier, vt Collocutor, aduenerunt primum die XXI. Ianuarij, cum ceteri ex vtraque parte iam pridem comparuissent, & Melanctonem (qui nominatim pro Collocutore fuerat Cæsari per litteras indicatus) tot diebus frustra expectassent. Quandoquidem pro eo substitutus ab Electore prædicto fuit diuus Maier. Die igitur 27. Ianuarij, Domini Præsidentes, post solenniter celebratam ritu Catholico in Cathedrali Ecclesia Missam, in Prætorio cum vtriusque partis Collocutoribus & Auditoribus conuenerunt, factoque confesso Cæsareæ Maiestatis, Commissiones sibi factas exhibuerunt, ac recitauerunt vtrique parti. Modum insuper procedendi, à Cæsare præscriptum, vtrique parti in scriptis tradiderunt. Verum, cum Lutherani suspiciosius variis causationibus & exceptionibus rem protraherent, atque Colloquium iniire nollent, nisi proprios permitterentur habere Notarios: effecerunt, vt Quinto tandem die Februarij primum, à Catholicis Collocutoribus materia de articulo iustificationis, iuxta præscriptam à Cæsare formulam, proponi potuerit. Die autem sequenti Lutherani, antequam ad materiam propositam responderent, prolixo apparatu præfati ac protestati, & extra propositum querelis & excusationibus vagantem scriptis, recitationibus, ac dictationibus extraxerunt, vsque in diem XXI. Februarij, antequam Catholicis daretur locus aut copia respondendi.

pondendi. Deinde die XVII. Feb. rursus Lu-
 theranis concessa dicendi facultate, res iterum
 tractata est partim dictationibus & scriptis,
 partim familiari colloquendi vice ac discepta-
 tione verbali, vsque ad 24. diem Februarij, qui
 erat festus Mathiæ Apostoli veneratione. In-
 terea Cæsar à Dominis Præsidentibus consul-
 tus, & de modo procedendi (qui Lutheranorum
 pernicacia & importunitate à præscripto
 aliquantulum mutatus erat) certior factus, no-
 tam eis super quibusdam dubiis commissio-
 nem misit, & vtrique parti literas Credentia-
 les, vt de sua voluntate & mandato Præsiden-
 tibus crederent, & R. D. Julium Pflug, Electum
 & Confirmatum Numbergensem, pro Tertio
 Præsidente reciperent. Quæ die 26. Februarij
 publicata vtrique parti, à Catholicis quidem
 obedienter acceptata sunt, à Lutheranis autem
 per varias ambages & excusationes recusata.
 Quæ sane res inter Præsidentes & Lutheranos,
 variis tractationibus diebus aliquot agitata,
 non potuit ad consensum perducere, eò quod Præsiden-
 tibus non liceret egredi aut recedere à præ-
 scripta Cæsaris commissione. Lutherani autem
 à conditionibus & limitationibus, quas contra
 Cæs. commissionem afferebant, nolent recede-
 re. Coacti sunt igitur Lutheranorum perui-
 cacia Domini Præsidentes, iisce de rebus iterum
 scribere ac referre ad Cæs. Maiestatem (quæ iam iter
 ingressa erat è terris inferioribus versus Ratispo-
 nam) vt scirent inde, quid Lutheranae parti, tam

*Fugitina Lu-
 theranorum
 abitu.*

obstinate contra commissionem excipitū, permittere aut concedere deberent. Lutherani autem, antequam à Cæsare adueniret Rescriptū, contra Præsidentium voluntatem, die 20. & 21. Martij (quæ erat Dominica Reminiscere) subito præter omnium opinionem, insolita festinatione, tantum non furtiue, discesserunt, & sua contumacia omnem Colloquij fructū præpedierunt, atque concordie spem præciderunt. Id quod optimis quibusque, qui pacis & concordie desiderio tenebantur, displicuit, & Cæsar ipse permoleste tulit. Nam ubi Ratisonam peruenit, Die X. Aprilis, & per paucos ad indictum Imperij Conuentum Principes & Status personaliter præsentés reperisset: nouam ad singulos misit mandatum, vt omnes absque ulteriori procrastinatione aduenirent. Datum Ratisonæ XXI. die Aprilis. In quo inter cætera sic ait. Cæterum, cum auditores & colloquentes, qui Augustanæ confessioni adherentium nomine, in proximo Colloquio, ad disparés religionis articulos conciliandos, vocati & ordinati fuere, nuperrime ante nostrum aduentum, nobis insciis, etiam (vt ex aliis accepimus) nostrorum ad id deputatorum Præsidentium, eorum abitus ratione, deliberatione habita, ab ipsis neglecta, citra omnem necessariam & legitimam causam (quod forte neminem clam habet) inexpectata festinatione terga dederint: Quorum recessus culpa, actus nūc totius Colloquij silet & iacet: Denuo in hoc necessitas requirit

Verba Cæsaris in mandato ad Principes & Status.

requirit vestrum etiam consilium. Quare sic
 remeditatis & bene instructis omnibus ob-
 equiis nobis deesse minime velitis. Et tan-
 tum de Colloquio. Cæterum per triste adue-
 nit inter colloquendum Lutheranis nuncium,
 obitu sui patris (vt eum vocant) Lutheri.
 Qui è Vuittenberga Islebium profectus, vt tra-
 ditur seculari in causis prophanis discordiæ,
 que inter Comites à Mansfelt erat, interesset,
 eo quod sub illis Domini: Islebij natus esset:
 Die XVII. Februarij peracta in publico cum
 alijs cœna, eaque largiter sumpta, & facetijs hi-
 lariter extracta, eadem nocte interiit. De cuius
 obitu multi multa scribunt. Aliter narrant &
 scribunt ex vicinis locis Catholici: aliter lo-
 quuntur & scribunt Lutherani. Multos enim
 arginatim emittunt Germanice libellos, ad
 persuadendum cunctis, quàm sancte mortuus
 sit ille sanctissimus (vt aiunt) omnium eorum
 pater. Circumferuntur præcipue Trium Col-
 legatum eius scripta, Ionæ Cocci, qui falso sei-
 ptum iustum vocitat, Phil. Melanchtonis, &
 Ioan. Pomerani. Qui cum illo in librorum Vuit-
 tenbergensium frontispicio, Quatuor primæ
 paginæ angulos, velut Quatuor Euangelistæ
 noui, occupare solent. Ionas interfuit præsens
 morti illius nocturnæ, subitanæ, & improvi-
 sa: scripsit epistolâ cōfesti eadē nocte, qua ille i-
 teriit, ad Electorē Saxonie, ac funebres postea pō-
 se cōtexuit historiā. Alij duo funebres habue-
 re cōciones. Pomeran^o Germanicā ad populū:

*Interitus Lu-
theri.*

*Varij de eius
obitu libelli.*

Latinam (quæ mox à Crucigero in Germanicâ
 versa ac ædita est) Melanchton ad scholasticos
 Laudis & complorationis plena sunt omnia.
 Vellent libenter omnibus persuadere, quod
 mortem ille non gustauerit, sed velut Enoch,
 aut Helias, aut Ioannes Euangelista, sine mor-
 te translatus sit. Allegant enim illud verbum
 Christi Ioan. 8. cap. Si quis sermonem meum
 seruauerit, non gustabit (aut videbit) mortem
 in æternum. Quod dicunt illum paucis ante
 exitum suum diebus, manu propria Germani-
 ce scripsisse in libro quodam hospitis sui, at-
 que in hunc sensum exposuisse. Si quis sermo
 verbum Dei meditetur in corde, ei credens, &
 super hoc obdormiat aut moriatur: is transi-
 t hinc, antequam mortem prospiciat aut sentiat.
 Huic autem eorum impudentiæ obstat mortui
 cadauer, idque fœtidissimum, quod multorum
 oculi palam viderunt in terram sepeliri: Quod
 de corpore Enoch, Helix, aut Ioannis, verè
 firmare non possunt. Si quis ergo historiam
 istam, quam Germanice scripsit Ionas, pres-
 sus aut propius inspiciat, facile intelliget, om-
 nia referri ad vanam gloriam & sæcularem pœ-
 nam in funere, & ad carnis delicias mundique
 honores in vita. Et ea omnia longe abfuisse ab
 instituto verorum Christi discipulorum. Quis
 enim sanctorum sic iter fecit pompatica osten-
 tatione, velut Triumphali corru vectus, cum
 tribus filiis, damnato & incesto coitu ex Mo-
 nacho & Moniali conceptis ac procreatis: si-
 cut

*Qualis mors
 Luthæ.*

*Historia Io-
 næ d: exitu
 & funere
 Luthæ.*

fecit hic Lutherus? Aut quæ erat eius dignitas aut nobilitas, ut à tot Generosis Comitibus Mansfelt missis, illi obuiam Centum & XIII. militibus in confinio honoris causa excipere? Aut quo Maiorum aut Apostolorum exemplo, ipse hereticus notorius, & ab utraque potestate suprema legitimo iuris ordine damnatus, atque in Episcopum nunquam electus aut ordinatus, nouo ritu, à sese friuole excogitato, ordinauit & consecrauit (ut ait Ionas in ista historia sua) Illebij Duos presbyteros, ipse neque Missam celebrans, neque cum aliis tunc communicans? Quid vero sanctitatis aut miraculi hoc habet, quod omnivestire post cœnam, operare paratam & largiter acceptam, distento cubitis & potu ventre, in habitaculo suo per fenestram prospiciens, aliquantulum orauit, interdum tam serio ac sedulo (sicut recitat historia) ut ceteri cumstantes, dum taciti adessent, quædam eius verba admirabundi perceperint: cum nihil dicatur ibi vel de horis Canonicis (ad quas dicendas utique ut Monachus professus, & presbyter olim rite ordinatus, de iure obligatus erat) vel de aliis ab eo interdum factis (si quas modo fecit) orationibus? O sanctitatem miraculosam, & apud Christianos nunquam prius auditam, quod nouus Saxonie Apollolus, tota die secularibus intentus negociis, prandiique & cœnæ crapula oneratus, omissis totius diei horis Canonicis, paululum, antequam cubitum iret, in fenestram profectum orasse depre-

Quales Lutheri ad Deum preces.

hensus est: cuius hæresi ac scelere tot per om-
ne fere Saxoniam, Pomeraniam, Daniam, Sue-
ciam, & Noruegiam, Monasteria, & Collegia-
te Ecclesię atque etiam Cathedrales (non so-
lum omissis, sed etiam publica violentia pro-
hibitis & interdictis, Missis & horis Canoni-
cis) desolantur, & à Dei laudibus obmutescunt
die noctuque, & ab omni cultu solennitate-
que veteri cessant. Quid vero illud, quod ab
ipsis rogatus Comitibus, vt ante prandium à
prophanis causarum tractationibus abstineret
ac quiesceret, in prandiiis tamen & cœnis eor-
um, in suo (velut proprio & insigniori) sedili
semper accubuit? Scilicet oportuit eum custo-
dire illud verbum Christi. Amant primos recu-
bitus in cœnis. Non autem in cœnis tantum-
modo, sed etiam in prandiiis: à quibus plegi-
que sanctorum patrum & Monachorum per-
petuò, exceptis Dominicis & festis diebus, ab-
stinuerunt. Quid item egregium (vt iactant
lonas) istud ei⁹ Apophthegma. Nos senes ideo
tam diu viuere oportet, vt in Diaboli postero-
ra respiciamus, ac tot mala, infidelitates, misè-
riaque mundi experientes, testes simus, Dia-
bolum tam malum spiritum fuisse? Item. Ge-
nus humanum est sicut ouile ouium occisio-
nis. Item illud, quod in historia omissum, in
Ione ad Electorem Saxonie epistola masculu-
lis insertum est literis, Solitarium esse, non af-
fert letitiam. Quasi vero Monachis à Paulo di-
ctum non sit, Gaudete in Domino semper, &c.

*Primus recu-
bitus in cœ-
nis.*

*Qualia A-
pophthegma-
ta Luthe.*

iudico Gaudete. Aut quasi non ad vitam & fa-
 ctorem, sed ad occisionem & perditionem à Deo
 creatum sit genus humanum: Aut falso dixit
 Apostolus. Deus vult omnes homines saluos
 fieri: Aut quasi nõ fuerit senior Luthero Moy. *Ad Phil. 4.*
 sis, quando dixit ei Deus. Videbis posteriora *1. Timo. 2.*
 mea, faciem autem meam videre non poteris. *Exod. 33.*
 Ad Dei igitur potius, quam ad Diaboli poste-
 riora, respiciendum est senibus. Quid deni- *Vltima Ora*
 que dicamus de vltima Lutheri oratione, quã *tio Luth.*
 historia maiusculis literis: notatã recitat? O mi
 pater (inquit) cœlestis, Deus & pater Domini
 nostri Iesu Christi, Deus totius consolationis,
 Gratias ago tibi, quod mihi dilectũ filiũ tuum
 Iesum Christum reuelasti. In quem credo, quẽ
 predicauit & confessus sum, quem amaui & lau-
 daui: Quem abominabilis Papa & omnes im-
 pij vituperant, persequuntur & blasphemant &c.
 Interroget hic Ionas patres, excutiat vel diligẽ-
 tissime omnes scripturaru, legũ & Canonũ, Cõ-
 ciliorũque angulos, an apud vllum Christia-
 num inuenire queat talem moriturũ orationẽ.
 In qua quisquam ita sese iactitet: ita præse-
 ctos, qui sub Papa Christum coluerunt, con-
 temnat & incuset: ita insectetur & calumnie-
 tur Ecclesie Pastorem, summum Pontificem.
 Annon potius credendum est, Christum iudi-
 cem mox post hæc verba eius, in ipso exitu ra- *Quale Chri-*
 ptiam de corpore animulẽ eius dixisse. De ore *sti in animã*
 tuo iudicote serue nequã: Quia tu ipse antea di- *Lutheri iudicium.*
 xisti & scripsisti, te audire in papa vocẽ ch- *Luc. 19.*

eo loquentis & presidentis. Item Anathema fit & maledictus, qui contra veritatem Apostolicarum veniarum loquitur. Item fateor, sub Papatu plurimum esse boni Christianorum, imo omne bonum Christianum: Et sub Papa esse veram Christianitatem, atque adeo verum nucleum Christianitatis. Quid igitur spei de salute potest esse homini sic indurato, & in fine usque contra charitatem in heresi, schismate, ac rebellionem, odioque contra Papam perpetuo persistenti, ac pertinacem & obstinatum animi efflanti? Iudicat enim eum non solum Christus, Pauli, Cypriani, Augustini, & similium sententia multipliciter attestata: sed etiam sermo ipsius & oris proprii iudicium. Stulte igitur ac impie laudat eum de hac oratione Ionas, quem admodum & Pomeranus, in fine funebri ad populum orationis suae, cacatam iactat stulte illius prophetiam, hoc carmine.

Cacata propheta Luth. contra Papam.

Pestis eram viuus, moriens tua mors ero Papa.
Non enim tam Pape, quam Germanie, & innumeris animabus pestis fuit viuus: mortuus quoque nemini magis quam iis, qui ei credunt, pestis & exitium erit: & ipse iam procul dubio scit & experitur, quam seua fuerit sibi metipsum pestis, & viuus & moriens. Quod si moriens mors est summa Pontifici, ut vane gloriatur. Quid est, queso, quod Elector Saxo, in Edicto suo, nuper 14. die Februarij per omnes terras suas promulgato, tam vehementer sibi suisque consideratis à Pape practicis (ut ait) timet, & suos do-

mi manere, atq; in continuo armorū apparatu
 persistere iubet: Nunquid mortuus Papa tā ma-
 gno opere timendus est? At vulgare est Italarum
 proverbium. Homo mortuus non facit Guer-
 rum. Manet igitur Papa, & manebit vsq; ad con-
 summationē sæculi: Hæretici vero velut aqua
 dilabuntur, vnus post alium. Vbi nunc sunt ma-
 gniloqui oppugnatores Papæ, Zuinglius, Oeco-
 lampadius, Carolstadius, Capito, Grynæus, Lu-
 therus, & cōplures alij? Mors depalcit eos nunc
 secunda vsq; in æternum: Papa & Sedes Apосто-
 lica, supra petram firmiter ædificata, perpetuo
 permanet. Quid vero prodesse potuit animę Lu-
 theri, ad tribunal Christi raptæ, vanissima pom-
 pa funeris, quando cadauer eius stanneo inclu-
 sum loculo, circumlatum per diuersas Eccle-
 sias, & longa seductorum ab eo populorū pro-
 cessione deductum atq; comploratum, & splē-
 dido, tam equestri quam pedestri, agmine Vuit-
 tenbergam reuectum, vanis complorationibus
 sepulturæ traditum est? Imprudentius tamen
 stanneo, quam ferreo imposuerunt loculo ca-
 dauer, non attendentes exemplum & astutiam
 Sarracenorum, qui ferreum potius, quam stan-
 neum fecerunt Mahumeto suo sepulchrum,
 quod in aëre pendulum à Magnetibus teneri di-
 citur, in Mesquita Mechæ vrbis Arabiæ: Ma-
 gnes enim lapis, non stānum, sed ferrum attrahe-
 re, scribūt Physici, & experiūtur artifices. Quo-
 denique exemplo Catherina Monialis, vxor Lu-
 theri, post funeris cutrum, carpento vecta, in

Pp

*Papa manet
 hæretici vt a-
 qua dilabun-
 tur.*

*Quanta pō-
 pa in funere
 Lutheri.*

publica processione, se suosque tres ex Luthero
 filios, Ioannem, Martinum, Paulum (vt enume-
 rat historia) spectandos præbuit? Nunquid tali
 modo deductum fuit funus olim B. Martini, aut
 S. Ambrosij, aut Diui Augustini? O miseros &
 execratos homines, quos talium non pudet,
 qui tam cæcum habent & de rebus humanis, &
 de religione Christiana iudicium. Væ autē im-
 probis & impiis laudatoribus illis, qui dicunt
 malum bonum, & bonum malum, ponentes te-
 nebras lucem, & lucem tenebras. Considerent
 autem pij, quid tantis præuæ intentionis labo-
 ribus, curisq; ac studiis effecerit Lutherus, cuius
 rebeli ac seditiosa concitatione, tam multa ho-
 minum milia & corpore & anima in æternum
 perierunt, atq; deinceps adhuc peribunt: & tota
 per eum Germania confusa & conturbata, om-
 ne decus pristinum, perturbato Imperio, ami-
 sit, & ad bella tum externa, tum ciuila spectans,
 trepidat, à Generali ac pacifico Cōcilio abhor-
 rens, & à Papa, à quo fidem Christi suscepit: ve-
 lut ab Antichristo per scelerata Lutheri dog-
 mata sibi timet. Stulta enim ista Ionæ historia, re-
 fert hanc quoq; Lutheri morituri tam impiam
 quam ridiculam stultitiam, quod eadem nocte,
 qua periit, dixerit ipsi Ionæ & Cælio, aliisq; cir-
 cumstantibus, Orate pro Domino nostro Deo
 & eius Euangelio, vt ei bene succedat: quia Cō-
 cilium Tridenti, & abominabilis Papa, grauitè
 ei aduersantur. Quis vnquam audiuit, orandum
 esse pro Domino nostro Deo: Sunt & aliæ com-
 plures

*Infelices &
 perniciosi la-
 bores Lutheri*

*Stulta histo-
 ria.*

... in mendaci ac futili hac historia stulti-
 ... quæ apud eruditos & cordatos viros Luthe-
 ... famam magis denigrant, quàm celebrât: sed
 ... breuitatis gratia omittuntur. Cochlaus
 ... tem pro asserenda & confirmanda contra
 ... osliber hæreticos veritate Catholicæ fidei,
 ... quoque anno nonnullos ædidit Latine li-
 ... bellos. Vnum contra Lutheri articulos, quos
 ... Concilio proponendos esse censuit: Alterum
 ... contra XVIII. articulos Buceri. Tertium cõtra
 ... præfationes & Annotationes Melancthonis.
 ... Quartum de Apostolicis Constitutionibus E-
 ... piscoporum Caroli Capellij &c.

Caesar denique ad celebrandum hic Ratispo- *Zibelli Cõ-
 ... chlai.*
 ... more solito Conuentum Imperialem, post
 ... longam expectatione, præfente iam Rege Ro.
 ... &c. fratre suo, & bona Principum, tum Eccle-
 ... stasticorum tum sæcularium, parte personaliter
 ... comparere, heri (hoc est Quinta die Iunij, Sab-
 ... bato post festum Ascensionis Domini) celebra-
 ... ta solenniter in Cathedrali Ecclesia Missa, præ-
 ... sentibus cum Maiestate sua, Rege, cæterisque *Inchoatio
 ... Conuentus
 ... imp.*
 ... Principibus, & Statibus Imperij: post implora-
 ... tum diuinum auxilium, publicam in Prætorio
 ... Propositionem super iis quæ hoc in Conuen-
 ... tu agenda sint, exhibuit, ac ea promulgatione
 ... Comitum ista sceleriter (vt speramus Deumque
 ... precamur) inchoauit.

Hac ex Actorũ Lutheri Cõpeditio, quod Rati-
 ... sponæ, post dissolutũ & fugaci abitione Luthe-
 ... ranorum desertum Colloquium nouissimum,

Pp ij

scriptum est, hortatu & petitione R. D. Hieronymi VERALLI Archiepiscopi Rollanen-
sis, Nuncij tunc Apostolici Apud Cæs. Maie-
statem: Nunc vero Authoritate PAVLI III.
summi Pontificis (exigentibus eius meritis)
creati & coaptati in Cœtum & Collegium S.
Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Anno Domi-
ni M. D. XLIX.

EX EPISTOLA GER-
manica cuiusdam cuius mans-
feldensis Narratio Histori-
ca, de vltimis Marti-
ni Lutheri actis &
eius obitu.

*Discordia in-
ter comites
Mäsfeld. Ex
doctrina Lu-
theri.*



Domini Comites à Mansfeld, in-
te ortam Lutheri doctrinam, o-
ptime inter sese concordantes etiã,
ita quod in omnibus causis in-
niores deferebant seniorib. eo-
rumque acquiescerent sententiã. Vbi autẽ ce-
pit scribere Lutherus, pars vna eius doctrinam
acceptavit, pars altera reiecit, factæque sunt res
eorum deteriores. Post obitum itaque senio-
rum, qui Catholici fuerant, successores eorum
in Lutheri partem concesserunt. Vnde speraba-
tur redintegrandam concordiam, sed longe secius
acci-